



## SECTIO II.

DE  
STATV RELIGIONIS INTER HVNNOS PRAECI-  
PVE ANTE SVSCEPTAM SECVLO X. AB VNGARIS  
RELIGIONEM CHRISTIANAM.

§. I.

Hunnos cum primum Europaeis innotuissent, indololatriae deditos fuisse constat inter omnes. Quod vero eo superstitionis progressi fuerint, vt statuas, animantia bruta mutaque colerent, nusquam legitur. Notari meretur, locus HERODOTI, vbi Scythis cultam praecipue esse dicit *Ἴστην*, h. e. Deam Vestam, quod est ipsissimum *Isten* Hungarorum, quo nomine DEVM compellare consueuerunt. Inducere hinc animum aliquis posset, Scythas illos Vngaros fuisse. Si haec ad Hunnos quoque referenda, ignem eos antiquitus coluisse, statuendum vtique est. Vesta enim, ignis DEA erat. Praeter hanc MARS atque HERCVLES, sacri illis fuere, atque hinc Marti cruenta mactabant sacrificia, VICTORIAE item, quam Martis esse rebantur, coniugem, sanguinem deuictorum, litare consueuerunt; id praecipue curantibus hariolis suorum, siue sacerdotibus quos ipsi, vt Persae *Magos* in consilia adhibuere, nihil quidquam suscipientes ardui, nisi audita prius illorum sententia, deliberassent.\*

§. 2.

In horum vero hariolarum numerum cum idem doctissimus INCHOFERVS, ZENTAM, DICAENVM, COMOSICVM ET ZAMOLXIN reponit, contra omnem id fidem facit historicam: cum harioli isti ex consensu omnium historicorum, inter Gothos seu Getas in Dacia

\* Vid. INCHOF. in app. ad annal. Eccl. p. 17 seqq.